



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Bona est Lex legitimè vtenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

TIMOTH: CAP. I. 7

Motus preparatio est, postea calore sumus calidi. Sed persona fide recepta deinceps etiam est iusta, id est, accepta Deo ad uitam eternam, non propter proprias uirtutes, quia multum adhuc manet in nobis sordium, sed propter mediatorem sola fide, qua & deinceps habemus remissionem peccatorum, & imputata iusticia mediatoris uesti sumus: Placet autem noua obedientia in reconciliato, hac ipsa confessione precedente, quod adhuc multe magnae sordes in nobis harent, iuxta illud: Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens, Sed placeat tamen & hac inchoata obedientia propter mediatorem fide.

Hec sepe alibi copiosius recitantur, unde sumatur explicatio longior, Nunc tantum breuiter hac recensui, ut iuniores admoniti sciant Paulum loqui de hac ipsa fide, de qua alibi inquit, Fide iustificati pacem habemus. Et hanc in quotidiana inuocatione & in consolationibus exerceant.

Bona est Lex legitime
utenti.

Recitata summa ingreditur in commemorationem de usu Legis: Nam multi ex Iudeis adhuc somniantes mansuram esse politiam Mosaicam, contendebant ritus Mosaicos necessarios esse.

I. EPISTOLA AD

esse, ut recens tunc fuerat agitata hæc controuersia in Synodo, quæ recitatur in actis capite 15. Itaq; ut sæpe alibi, ita hic quoq; reprehendit illos errores propugnantes Legem Moysi, & pauca addit de usu Legis.

Est autem insignis propositio, Bona est Lex legitimè utenti, ubi monet de usu Legis multa consideranda esse, uidelicet & ipsarum legum discrimina, & fines Legis. Notum est autem unam Legis partem, scilicet Moralem, quam nominamus Decalogum, sapientiam æternam in mente diuina esse, cuius noticia in homines transfusa est, ut uerè agnosceretur Deus, & omnes uires nostra congruerent cum mente & uoluntate Dei. Etsi autem postea natura hominum auersa est à Deo, tamen in toto genere humano hæc noticia aliquo modo, quia Deus uult ab omnibus agnosci suum iudicium aduersus peccatum, uult etiam homines quanquam non renatos frenare & coercere locomotiuam.

Aliæ duæ partes, uidelicet leges Forenses, & Ceremonia, erant nerui huius politie Israël, inuoluti cum ipsa politia. Sed de omnium partium usu hæc propositio uera est, Nulla opera Legis, neq; Moralia, neq; alia, merebantur remissionem peccatorum, nec erant illa res qua Daniël, Ieremias, Daniel, & similes erant iusti coram Deo.

TIMOTH: CAP. I. 9

Deo, sed erant disciplina qua non renati frenabantur, & exercitia in quibus renati declarabant suam obedientiam & confessionem. Præterea ritus erant signa discernentia hanc politiam ab alijs, quia uoluit Deus notum esse populum ex quo nasceretur redemptor, eamq; ob causam uoluit tunc certam esse Ecclesie suæ sedem. Hoc consilio politiam illam ita constitutam esse, & peculiaribus ritibus distinctam ab alijs gentibus, sciri necesse est.

Sed iam dicamus de Decalogo, id est, de naturali & perpetua Lege, omiſſis cæteris legibus. Nam de hac ipsa parte, uidelicet de lege Morali inquit Paulus, Lex est posita iniustis, id est, urget & premit iustos. Et addit exempla pertinentia propriè ad legem Moralem, Ait esse positã periuuris, homicidis & scortatoribus. Hic primùm sit infixa mentibus uera doctrina contra Antinomos, legem Moralem non esse mutabilem aut ociosam, Sicut lex Spartana de nummo ferreo, aut lex Thebana de collocandis in cophinum oberatis non soluentibus: Sed esse æternam & immutabilem sapientiam in mente diuina, cuius noticia creature rationali tradita est, ut sciamus esse Deum, & qualis sit, & quod sit uindex, & quod semper nos obliget, Primum, ut obtemperemus. Secundo, si non obtemperemus ut horribiliter hæc natura

contu

I. EPISTOLA AD

contumax destruat. Quia Deus iam propter hanc irascitur, sicut usitatè dicitur: Omnis lex obligat uel ad obedientiam uel ad poenam. Et hanc obligationem legis ualde perspicuè intellexit Adam, cum post lapsum sensit iram Dei & iudicauit, se iusto iudicio Dei penitus delendum esse. Nec argumentum hoc ulla creatura soluere poterat, sed interuenit filius Dei, qui & obedientiam prestitit, & poenam in sese deriuauit, ne Lex esset irrita, & tamen seruarentur homines.

Hæc sepius cogitanda sunt, ut aliquo modo discamus res esse maximas legem Dei, peccatum, iram Dei, ordinem certissimum iusticiæ Dei irrogantis poenam. Ideoq; exempla quotidiana in promptu sunt, mors, & aliæ ingentes calamitates hominum, morbi, dolores, cædes, uastationes. Hæc communes miseriæ sunt effectus ordinati Legis, & testimonia iræ Dei aduersus peccata. Sicut dicitur Psalmo 38. Propter iniquitates corripis hominem. Et ualde dolendum est homines securos ruere in uaria scelera, quasi Lex Dei sit inanis pictura.

Sciamus igitur ueritatem Dei esse, & usum eius rectè intelligamus. Sunt autem usus aduersus non renatos duo uniuersaliter, Cohercere & Punire. Docendi sunt igitur etiam non renati
includit

inclusos esse carcere Legis, & disciplinam præstandam esse propter hæc quatuor.

Primum, Quia Deus eam præcipit, & omnes creature Deo obedientiam debent.

I.

Secundo, Ut uitent pœnas præsentis & æternas, Quia nequaquam dubium est atrocissima scelera in hac uita atroces pœnas comitari, Iuxta illa dicta: Gen: 6. Matth: 26. Qui acceperit gladium gladio peribit. Itē, Exo: 20. Non habebit Deus infontem eum, 2c. Item, Ebr: 13. Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Item Prouer: 12. Labium mendax abominabitur Dominus. Has regulas ueras esse & ordinem diuinum quem Deus exequitur, quotidiana experientia ostendit.

II.

Tertio, Vult Deus singulos & aliorum uite parcere, non enim nobis tantum nati sumus, sed communis cognatio est in genere humano, & singuli communem societatem fouere debent, & execranda est illa uox Cain, Gen: 4. Nunquid ego custos sum fratris mei. Frenandi sunt igitur impetus in singulis, ut alij uiuere possint, ne dissipetur societas, nec turbentur educatio & institutio. Hæ tres cause facile intelligi possunt.

III.

Quarta causa est de qua Paulus loquitur ad Galatas 3. capite. Lex est pædagogus in Christo. id est, non possunt doceri homines ubi nulla est disciplina, Item beneficia Filij Dei non intelliguntur

IIII.

C tur

I. EPISTOLA AD

tur sine agnitione peccati, Item non accipiuntur donec homines perseverant in sceleribus contra conscientiam.

Hæ causæ omnes ad diligentiam regende discipline hortentur, quam quidem regere aliquo modo possibile est homini etiam non renato, Quia Deus uult reliquam esse libertatem uoluntatis in homine ad regendam locomotiua. Est autem disciplina gubernatio locomotiua etiam si corda sunt immunda, ut quod Achilles admonitus à ratione retrahit manum ne interficiat Agamemnonem, gubernatio est locomotiua etiam si cor ardet ingenti incendio. Præterea sciendum est, etiam si disciplinam præcipit & flagitat Deus, & horribiliter uiolationem discipline punit, tamen disciplina nequaquam meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo qua homines iusti, id est, Deo accepti sint, Sed tegit nos, sicut folio fici Adam & Eua suam immundiciam & horrendam contaminationem tegebant, id est, Est quaecumq; frenum quod uitæ & societati necessarium est.

Memineris etiam hoc dicto, Lex est iniustis posita, approbari totum ordinem politicum, imperia, coniugium, distinctionem dominiorum, contractus, iudicia, poenas, Quia nerui huius ordi-

nis propriissimè sunt præcepta Decalogi. Cum autem Decalogus uerissimè sit sapientia Dei, manifestum est & hunc ordinem politicum suo genere rem bonam esse.

Alter usus Legis in non renatis est condemnare ad pœnas præsentis et æternas, Suntq; initiũ iudicij diuini & destructionis pœna præsentis, ex quibus liberantur aliqui, uidelicet hi qui ad Deum conuertuntur, Alij non liberantur sed ruunt ex illis in æternum exitium: Vt præsens calamitas Saulis initium est pœnarum quæ in omni æternitate ipsum opprimunt, Est & Dauidis calamitas initium iudicij & destructionis, sed hic liberatur quia petit & accipit remissionem peccatorum fiducia redemptoris. De hoc usu Legis uidelicet de condemnatione loquitur Paulus 1. Corinth: 15. inquit: Aculeus mortis peccatum est, potentia uerò peccati Lex est. Et Roman: 7. Per Legem peccatum fit excellenter peccatum, id est, ualde reum, id est, reatus, ira Dei, proiectio, sentiuntur Lege nos accusante. De his doloribus inquit Ezechias capite 38. Sicut Leo rugiens contriuit omnia ossa mea.

Dixi de usibus Legis in non renatis, ac in secundo usu de condemnatione discernendi sunt hi qui conuertuntur, ab alijs qui non conuertuntur. Nam conuersi liberantur à condemnatione &

C 2 tamen

I. EPISTOLA AD

tamen hi quoq; sentiunt initia huius horrendi iudicij & multas pœnas, Sicut Dauid, Ionathas & alij. Priusquam autem dicimus de usu in reuotis prius declaranda est sententia, Iusto non est Lex posita. Hæc ut rectè & simpliciter intelligatur, antithesis consideranda est consilij Pseudoapostolorum & consilij Paulini. Contendebant Pseudoapostoli Legem seruandam esse, ut his operibus homines fierent iusti, & magis magisq; fierent iusti, Sicut diceret materfamilias filie, tot horis nihil gustes, & postea unico ferculo contenta esto, & bis bibas, & sic eris temperans, & hac assuefactione magis temperans eris. Hoc modo de disciplina rectè dicitur, sed nequaquam facienda est confusio discipline & iusticie coram Deo. Falso transferunt hoc exemplum Pseudoapostoli ad iusticiam coram Deo. Opponit igitur Paulus huic errori & confusioni hoc dictum, Iusto non est Lex posita, scilicet quo ad iustificationem. Lex non est proponenda, ut homo fiat iustus Lege uel operibus, uel magis iustus, sed prorsus alia res proposita est qua homo fit iustus coram Deo, scilicet Filius Dei, propter hunc es iustus Fide, id est, habes remissionem peccatorum & imputatam ipsius iusticiam, & propter ipsum, Et es donatus Spiritu sancto & hereditate uite eterne.

Hæc

TIMOTH: CAP. I. II

Hæc est prima recta & simplex enarratio, Iusto non est Lex posita, scilicet quo ad iustificationem, ut homo Lege fiat iustus uel magis iustus coram Deo, iam habes hoc beneficium aliunde, ut si diceremus Monachis, Stulti quid agitis, uultis instituere opera & condere Leges, ut homines fiant iusti, nequaquam alia re nobis credentibus in Filium Dei opus est ad iusticiam, sed propter ipsum donantur remissio peccatorum, imputatio iusticie, Spiritus sanctus & hereditas uitæ æternæ.

Sequuntur & aliæ interpretationes quæ magis usitatae sunt, Iusto non est Lex posita, scilicet quo ad coactionem, item quo ad condemnationem. Ac interpretatio de condemnatione continet utilem doctrinam, & congruit cum dictis, Rom: 5. Iustificati fide pacem habemus. Item, Roman. 6. Non estis sub Lege, sed sub gratia. Item, Rom: 8. Nulla nunc condemnatio est his qui in Christo Iesu ambulant. Sic dicitur: Iusto non est Lex posita, id est, Lex non condemnat fide iustum, etiamsi multum adhuc sordium & peccatorum in hac tanta infirmitate nostra circumferimus, sed loquitur dictum de Iusto, id est, de habente ueram fidem, qui conuersus ad Deum fiducia Filij Dei receptus est. Hic agnoscit & deplorat reliquias peccati, sed tamen scit eas tegi per Filium Dei, &

C 3 repugnat

I. EPISTOLA AD

repugnat malis opinionibus, & uiciosis cupiditatibus. Hæc interpretatio perspicua est, & consolationem pijs mentibus affert. Et uerbum *re-*
ta singularem habet Emphasin, quasi dicat, credentem Lex non opprimit tanquam immota & sine ulla mitigatione.

Augustino familiarior est interpretatio de coactione, Renatus Spiritu sancto iam uolens obtemperat, ut mater sponte amat & alit sobolem non coacta Lege, etiamsi Lex quoq; id precipit. Sed quia magna infirmitas in hac uita manet reliqua, multi etiam renati disciplina frenandi sunt, ut de pueris manifestum est, ideo hanc interpretationem relinquo.

Quis est autem usus Legis in renatis? Vsimta nobis responsio est & satis concinna, si dextere accipiatur, Credentes liberi sunt à Lege, quòd ad condemnationem attinet, non quòd ad obedientiam attinet, id est, sunt iam reconciliati, & placeant Deo, quanquam Legi non satisfaciant, Sed inde non sequitur licere eis ruere contra conscientiam, Quia semper manet hic ordo, ut creatura rationalis Deo obediat, sed hoc est Euangelij beneficium, quòd obedientia imperfecta Deo placeat, Nec enim concedit Euangelium contemptum Dei contra conscientiam, Ideo dicitur Matth. 5. Nisi iusticia uestra excellet supra iusticiam Pharisæorum,

riscorum, non intrabitis in regnum cœlorum.
 Item, Non ueni soluere Legem, sed implere. Et
 implet ipse, ut simul in nobis restituat, ut Roman:
 s. dicitur: De peccato damnauit peccatum, ut
 iusticia Legis impleatur in nobis, non secundum
 carnem ambulantis. Item, Rom: 3. Legem sta-
 bilimus per fidem, id est, ideo recipimur & reno-
 uamur ut iam fiat Lex & placeat.

Hec sententia sepe repetita est alijs cras-
 ribus formis loquendi 1. Corinth: 6. Ne erre-
 tis, Scottatores, idolatrae, adulteri &c. non pos-
 sident regnum Dei. Et 1. Ioannis 3. Nemo de-
 cipiat uos, qui facit peccatum ex Diabolo est. Et
 Roman: 8. Debites sumus, ut non secundum
 carnem ambulemus. Nec debitum significat uio-
 lentiam, sed immotum ordinem quo creatura ra-
 tionalis creatori subiecta est, Et hoc ipsum est
 debitum, ut obedientia sit spontanea. Et Zacha:
 s. dicitur: Veritatem & iudicium pacis iudica-
 te in portis uestris, & malum contra proximos
 non cogitate, & iuramentum mendax ne diliga-
 tis, omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.
 Item Psalm: 5. Non Deus uolens impietatem tu es.

Manet igitur illa uoluntas in Deo aterna &
 immota quæ discernit bona & mala, & uult bo-
 na, & uult obedientiam creaturæ congruentem

I. EPISTOLA AD

sue uoluntati, & patefactam per Filium de quo dicitur Matth: 17. Hanc audite. Ideo & in iuramento dicitur Ezech: 33. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, Vtrumq; enim complectitur Iusiurandum, mandatum de conuersione, & promissionem reconciliationis. Ex his omnibus intelligi potest recte dici, obedientiam, quae inchoatur fide, & subiicitur uoluntati Dei quam Lex ostendit, necessariam esse.

Secundo manet Lex renatis, quod ad doctrinam attinet, quia oportet eos habere testimonium expressum, qui cultus Deo placeant, ideo dictum est ad Timotheum 2. Timo: 3. capite. Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum.

Tertio liberatio à Lege clarius intelligitur cum intuemur integram liberationem, qualis erit in nobis in uita aeterna, ubi in luce diuina uiuimus sine peccato, sine morte, sine alijs calamitatibus, sed in hac uita haerent in nobis reliquiae peccati, mors, & multae calamitates, sicut igitur manent mors & aliae poenae, ita manet Lex quo ad reliquias peccati, Nam haec omnia sunt quae nos accusant, Lex, mors, & aliae poenae. Pulso Deo uidi sua calamitas est uox Legis, sed ita fit liberatio à Lege et à morte, quia fide eluctatur, Sic igitur iustus quatenus est iustus, id est, quatenus fide uiu

cit, non est Lex posita, non condemnat eum. Hanc doctrinam de liberatione à Lege, et de usibus Legis breuiter hic recitatam, alibi copiosius expositam relegite.

Quia ignorans feci.

Discernit persecutores ut Roman: 10. & 11. aliqui conuertuntur, aliqui non conuertuntur. De hoc discrimine & Matthæi 12. dicitur: Qui dixerit sermonem contra Filium hominis, remittetur ei, Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hac neq; in futura uita. Hic multa disputantur de blasphemia seu de peccato irremissibili, Nos prius teneamus hanc regulam, Mandatum de conuersione sine ulla dubitatione uniuersale est, sic & sine ulla dubitatione promissio Gratiæ uniuersalis est, Sicut Dominus inquit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Et horrenda contumelia est aduersus Filium Dei, cogitare regnum Diaboli potentius esse Christo, cum quidem dictum sit Rom: 5. Gratia exuberat supra peccatum, Et sancita sit promissio Iureiurando, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, &c. Confugiamus igitur ad Filium Dei, & sustentemus nos promissione, & repugnemus dubitationi.

Hæc sunt mandata diuinitus, & tales sentient

C 5 consolatio